

Omelia XXXVIII. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.136va-138rb)

In illo tempore abiit ihesus sabbatis per sata. Discipuli autem eius esurierunt et ceperunt incidere spicas et comedere.

Commented [ND1]: [fol.136va]

Lucas autem ait, in sabbato secundo primo. Quid autem est secundo primo? cum duplex otium erat, et sabbati domini, et alterius festiuitatis succedentis. Sabbatum enim singulum otium uocant. Et quid utique inde eos ducebat, qui omnia presciuit, nisi uolebat soluere sabbatum? Volebat quidem sed non simpliciter. Ideoque numquam sine causa id soluit, sed dans occasiones rationabiles, ut et legem quiescere faciat, et illos non offendat. Est autem ubi et principaliter id soluit, non cum circumstantia, ut cum luto ungat oculos caeci. Vt cum dicat, pater meus usque modo operatur, et ego operor. Facit autem haec in hoc quidem, glorificans suiipsius patrem. In illo autem imbecillitatem iudeorum mitigans. Quod utique et hic instruit, naturae necessitatem premitens, quamuis in peccatis quae confessa sunt, non utique fieret unquam excusatio. Neque enim occidens furorem utique habebit premittere. Neque qui adulterat concupiscentiam. Magis autem neque aliam ullam causam dicere. Hic autem famem dicens, omni eos eruit incusatione. Tu autem ammirare discipulos, qui ita erant suppressi, et nullam corporalium habebant curam, sed in contemptu ponebant carnis mensam, et fame expugnabantur continua, et neque ita desistebant. Nisi enim cogeret eos uehementer esuries, nequaquam hoc fecissent. Quid igitur pharisei? uidentes ait, dixerunt ei. Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere in sabbato. Hic quidem non ualde uehementer, quamuis consequens erat hoc, sed tamen non ualde exacuuntur, sed incusant simpliciter. Quando autem manum siccam extendit et direxit, tunc ita in feritatem deuenerunt, ut et de occasione et interfectione eius consiliarentur. Vbi enim nichil fit magnum et nobile, silent. Vbi autem uident quosdam saluatos, siluestres efficiuntur et turbantur, et omnibus sunt honorosiores, ita inimici salutis hominum sunt. Qualiter igitur excusat eos ihesus? non legis ait, quid fecit dauid in sacrario quando esuriuit ipse, et quierant cum eo, qualiter intrauit in domum dei, et panes propositionis comedit, quos non licebat ei comedere, neque his qui cum ipso erant, nisi solis sacerdotibus? Cum enim discipulos excuset, dauid in medium adducit, cum autem seipsum patrem, et uide qualiter uehementer. Non legis quid fecit dauid? Etenim multa prophetae huius erat gloria, ut et petrus postea respondens ad iudeos, ita diceret, licet dicere cum libera propalatione ad uos, de patriarcha dauid, quoniam obiit, et sepultus est. Propter quid autem eum non cum dignitate uocat, neque hic, neque postea? Fortassis quia inde genere descendebat. Si quidem igitur habiles ad ignoscendum essent, ad passionem esurie sermonem duxisset. Quia autem inquinati et inhumani erant, et hystoriam eis legum. Marcus autem in abiazar principe sacerdotum ait, non contraria dicens hystoriae, sed monstrans quoniam binomius erat, et adicit, quoniam ille dedit ei, monstrans et hinc magnam existentem excusationem, cum et sacerdos permiserit et ministrauerit. Non enim michi dic, quoniam propheta erat dauid. Neque enim ita licebat, sed sacerdotum erat hic primatus. Ideoque adiecit nisi sacerdotibus solis. Etsi enim decemmilies erat propheta, sed non sacerdos. Si autem et ille erat propheta, sed non et qui cum ipso erant. Etenim et illis dedit, quid igitur ait equales sunt dauid et hii? Quid michi dicis dignitatem, ubi legis transgressio esse uidetur, etsi naturae est necessitas? Etenim et ita magis eos eruit ab accusationibus cum et qui maior est appareat, hoc idem fecisse. Et quid hoc est ad id

Commented [ND2]: uel quies add. super lin.

Commented [ND3]: [fol.136vb]

Commented [ND4]: quodque add. super lin.

Commented [ND5]: uel quietem add. super lin.

Commented [ND6]: id est necessitate add. super lin.

Commented [ND7]: uel causans add. super lin.

Commented [ND8]: manifestis add. super lin.

Commented [ND9]: iram add. super lin.

Commented [ND10]: causari add. super lin.

Commented [ND11]: uel templum add. super lin.

Commented [ND12]: [fol.137ra]

quod queritur ait? non enim utique sabbatum ille transgressus est. Quod maius est michi dicis, quod et maxime ostendit, christi sapientiam, quoniam sabbatum dimittens, aliud exemplum fert sabbato maius. Neque enim equale est transgredi diem, et sacram illam tangere mensam quam nulli fas erat. Sabbatum enim et solutum est multotiens, magis autem semper soluitur et in circumcissione, et in aliis pluribus operibus. Sed et in ihericho hoc idem effectum, aliquis uidebit. Hoc autem tunc solum factum est, quare ab ampliori est uictoria. Qualiter igitur nullus incusauit dauid, quamuis et hac maior incusatio alia erat, quae occisionis sacerdotum, quae hinc accepit initium? sed non ponit eam, ad propositum enim instat solum. Deinde rursus et aliter id soluit. In principio enim dauid induxit, dignitate personae comprimens eorum elationem. Quia autem eos obstruxit, et contumaciam eorum destruxit, tunc et principaliorem inducit solutionem. Qualis autem erat haec? Nescitis quoniam in sacrario sacerdotes sabbatum contaminant, et innocentes sunt? Illic enim ait, circumstantia solutionem fecit, hic autem et sine circumstantia est solutio. Sed non confestim ita soluit, sed primum secundum ueniam. Deinde secundum aduersationem. Quod enim fortius est, inducere postea oportebat, quamuis et quod prius est, propriam habebat uirtutem. Ne enim michi dicas quoniam afferre in medium, et alium idem peccantem, non est erui ab incusatione. Cum enim non incusatur qui fecit, lex excusationis fit, id quod factum est. Verum non suffecit in hoc, sed et quod principalius est, inducit dicens, quoniam neque peccatum est quod factum est. Quod maxime clarae uictoriae erat, monstrare legem seipsam dissoluentem, et dupliciter hoc facientem, et a loco et a sabbato. Magis autem et tripliciter, quia et duplex hoc opus erat, et cum hoc, et aliud, quod a sacerdotibus. Et quod utique maius est, quod neque accusatio eius est. Innocentes enim sunt ait. Vides quanta posuit? Locum in sacrario enim ait personam? Sacerdotes enim tempus, sabbatum enim ait, rem ipsam contaminant enim, neque enim dixit soluunt, sed quod honorosius est, contaminant, hoc etiam quod non solum non uindictam dederunt, sed et a culpa eruti sunt. Inculpabiles enim sunt, neque estimetis hoc simile esse ait priori. Illud enim et semel factum est, et non a sacerdote, et necessitatis fuit. Propter hoc et uenia facti sunt digni. Hoc autem et secundum singulum sabbatum, et a sacerdotibus et secundum legem. Ideoque neque secundum ueniam, sed secundum legem sunt ab incusationibus eruti. Neque enim incusans, haec dixi ait, neque secundum ueniam eos eruens, sed secundum iusticiae rationem, et uidetur quidem illos excusans, hos autem liberat ab incusationibus. Cum enim dicat, inculpabiles sunt illi, multo magis hii ait, sed non sunt sacerdotes, sed sacerdotum maiores. Ipse enim adest hic, qui sacrarii est dominator, qui ueritas est non typus. Ideoque dixit. Dico autem uobis quoniam sacrario maius est hic. Sed tamen tam magna audientes, nichil dixerunt. Non enim salus hominis, erat propositum. Deinde quia graue audientibus uidebatur esse, uelociter id conuelat ad ueniam sermonem ducens, et cum uehementia et ita dicens. Si autem cognouissetis quid est misericordiam uolo et non sacrificium, non utique condempnauissetis inculpabiles. Vides qualiter rursus ad ueniam ducit sermonem, et rursus uenia superiores ostendit? non enim utique condempnauissetis ait, inculpabiles. Quod quidem prius est, coniunxit. Et quod principum sacerdotum erat, in idem dicens. Inculpabiles sunt, hoc autem a seipso ponit, magis autem et hoc a lege, prophetica enim recognitionem, deinde et aliam causam dicit, dominus enim ait est sabbati, filius hominis de seipso dicens. Marcus autem et de communi natura hoc eum dixisse ait. Dixit enim sabbatum propter hominem factum est, non homo propter sabbatum. Cur autem puniebatur, qui ligna congregabat? Quoniam si et in principio contempndae essent leges, uix postea custoditae essent. Etenim multum expediebat in principio sabbatum. Puta mansuetos faciebat ad familiares esse, et amatores hominum. Docebat enim eos dei prouidentiam et creationem, quod ait iezechiel, erudiebat eos paulatim secedere a pernitie, et spiritualibus intendere preparauit. Quia enim legem dans sabbati, si

Commented [ND13]: [fol.137rb]

Commented [ND14]: de panibus add. super lin.

Commented [ND15]: in dauid add. super lin.

Commented [ND16]: uel templo add. super lin.

Commented [ND17]: uel inculpabiles add. super lin.

Commented [CN18]: Id est necessitas add. super lin.

Commented [ND19]: sabbatum add. super lin.

Commented [ND20]: id est directio add. super lin.

Commented [ND21]: sacerdotum add. super lin.

Commented [ND22]: dauid add. super lin.

Commented [ND23]: [fol.137va]

Commented [ND24]: discipulos add. super lin.

Commented [ND25]: sacerdotes add. super lin.

Commented [ND26]: uel innocentes add. super lin.

Commented [ND27]: iudei add. super lin.

Commented [ND28]: cura add. super lin.

Commented [ND29]: ei add. super lin.

Commented [ND30]: famis add. super lin.

Commented [ND31]: [fol.137vb]

dixisset bona quidem agite in sabbato, mala autem ne faciatis, non utique sustinuissent, ab omnibus similiter eos prohibuit. Nichil enim facietis ait. Et neque ita detinebantur. Ipse enim et legem dans, et sabbati legem, et ita enigmaticè insinuauit, quoniam pernitiosis eos secedere uult solum. Nichil enim facietis ait, preter ea quae faciet anima. Sed et in sacrario omnia fiebant, et cum studio ampliori et duplici operatione, ita et per ipsam causam ueritatem eis aperiebat. Tantum igitur lucrum ait soluit christus? Absit, sed et ualde intendit. Tempus enim erat per excelsiora eos omnia erudiri, et non oportebat ligari manus eius, qui a pernitie quidem est erutus, ad bona autem omnia est expansus, neque hinc discere quoniam deus omnia fecit, neque huic mansuetos esse eos, qui ad ipsam dei philanthropias id est amoris hominum imitationem, uocantur. Fiatis enim ait, misericordes, sicut et pater uester, neque una die festum celebrare, eos qui omnem uitam festum ducere iubentur. Festum enim faciamus ait, non infermento ueteri, neque infermento malitiae et nequitiae, sed in azimis sinceritatis et ueritatis. Neque secus arcam stare et altare aureum eos qui ipsum, qui omnium est dominator, in habitorem habent, et per omnia colloquentes ei et per orationem, et per oblationem, et per scripturas, et per elemosinas, et quia eum intus habent. Quid igitur sabbato est opus ei qui semper festum facit, ei qui urbanitatem habet in caelo?

Commented [ND32]: festiuam add. super lin.

Commented [ND33]: uel conuersationem add. super lin.

Festum igitur faciamus continue, et nichil pernitiosum agamus. Hoc enim est festum, sed intendantur quidem spiritualia, et secedant terrestria, et uacemus uacatione spirituali, manus ab auaritia desistentes, corpus a superfluis et inutilibus eruentes laboribus et a quibus in egypto sustinuit tunc hebreorum plebs. Nichil enim differimus qui aurum congregamus ab his qui luto alligati erant, et lateres illos operabantur, et paleas congregabant, et flagellabantur. Etenim et diabolus nunc iniungit lateres operari, sicut tunc pharao. Quid enim aliud aurum est quam lutum, quid autem aliud argentum quam palea? Sicut palea nempe accendit concupiscentiae flammam sicut lutum, ita sordidat aurum habentem. Propter hoc misit nobis non moysen ex heremo, sed filium ex caelo. Si igitur postquam uenit ipse manseris in egypto, patieris ea quae sunt egyptiorum. Si autem dimittens illam, ascenderis cum spirituali israel, uidebis uniuersa miracula. Verum neque hoc sufficit ad salutem. Neque enim ex egypto oportet solum erui, sed et in terram repromissionis intrare. Quia et iudei sicut paulus ait, et per mare rubrum pertransierunt, et manna comederunt, et potum spiritualem biberunt, sed tamen omnes perierunt. Vt igitur non et nos eadem patiamur, non pigitemur neque tardemus, sed cum audieris pernitiosos, et nunc exploratores detrahentes arte et tribulatae uiae, et dicentes quae dixerunt tunc illi exploratores, non plebem multam, sed ihesum zelemur. Kalephiephoni filium et non prius desistas, donec fruaris repromissione et celos ascendas, neque difficile hoc iter estimates esse. Si enim inimici existentes reconciliati sumus deo, multo magis reconciliati saluabimur. Sed arta et tribulata est uia haec? Sed prior per quam uenisti, non arta et tribulata solum, sed et in uia et feris siluestribus plena, et sicut non erat per rubrum pertransire mare, nisi miraculum illud factum esset, ita non erat in priori uita manentes in celum ascendere, nisi baptisma medium apparuisset. Si autem quod impossibile erat, factum est possibile, multo magis quod difficile erat. Sed illud ait gratiae solum erat. Propter hoc enim maxime deberes confidere. Si enim ubi gratia erat sola cooperatus est, ubi et labores demonstratis non multo amplius cooperabitur? Si otiosum saluauit, non multo magis operanti auxiliabitur? Superius igitur dicebam quoniam ab impossibilibus et difficilibus debes confidere. Nunc autem illud dico, quoniam si uigilauerimus, neque difficilia haec erunt. Vide enim mors conculcata est, lex peccati extincta est, spiritus gratia data est, ad pauca uita nostra constricta est. Honerosa abscisa sunt, et ut discas haec, et per opera id intueri, quanti superexcessere precepta christi? Tu autem et mensuram ipsam formidas? Quam igitur

Commented [ND34]: Morale xxxviii. de eo quod oportet festum facere nos domino uere in secedendo ab omni malitia, et perficiendo diuinas uirtutes. notum in marg.

Commented [ND35]: [fol.138ra]

Commented [ND36]: erit facile add. super lin.

Commented [ND37]: [fol.138rb]

habebis excusationem cum aliis omnia dura super egredientibus pigriteris et ad legalia ipse. Te enim admonemus elemosinam dare, ab his quae tibi existunt. Alius autem et uniuersa quae sibi existunt, exutus est, te sobrie uiuere rogamus cum uxore, alius autem neque copulatus est matrimonio. Et te quidem deprecamur non emulatorem esse. Alium autem habemus, et animam suam pro dilectione tradentem. Et te quidem rogamus ignoscentem, et non grauem esse peccantibus. Alius autem alapis cesus, et aliam uertit maxillam. Quid igitur dicemus dic michi, quid autem excusando respondebimus, neque haec facientes aliis tantis superexcedentibus nos? Nequaquam autem superexcessissent, nisi multa rei huius esset facilitas. Quis enim liquatur, qui inuidet aliorum bonis, uel qui congaudet et laetatur? Quis suspicatur omnia, et tremit continue, qui sobrius est uel qui adulterat? quis in spe benigna letatur, qui rapit uel qui miseretur, et qui ex suis dat indigenti? Haec igitur excogitantes, ne torpeamus ad cursus qui sunt pro labore, sed cum desiderio uniuerso exuti ad bonas has palestras, paruo fatigemur tempore, ut sempiternas et in marcescibiles accipiamus coronas, quibus fiat omnes nos potiri, gratia, et filantropia id est amore hominum, domini nostri ihesu christi, cui gloria in secula seculorum amen.